



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jus Canonicum Practice Explicatum

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gegorii Papæ IX. Titulos,
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

Pichler, Vitus

Ingolstadii, 1728

Quæst. II. An negligentia & contumacia Procuratoris?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

non nocet, quando Procurator excedit mandatum &c. ut paulò antè dictum. Ad IV. Iterum negatur *conseq.* propter easdem rationes & limitationes in Jure fundatas. Ad V. & VI. Illa iterum procedunt tantum in thesi & generaliter, non in nostra & præfenti hypothefi.

QUÆSTIO II.

An negligentia & contumacia Procuratoris noceat Domino?

Regula est inter DD. recepta, quòd Procuratoris negligentia noceat Domino, per *text. in l. 10. C. de Procurat. l. transactionis 7. C. de transact.* Rosbach *tit. 19. n. 29.* Gail *1. obser. 45. n. 1.* cum Bart. & aliis in *l. 1. §. 2. ff. si quis jus dicenti.* & Baldo & Salyc. in *autb. hodie C. de Appell.* Sibi enim imputare debet Dominus, quòd negligentem Procuratorem constituerit. *l. 2. ff. de Minor. inf.* nec refert, utrùm Dominus sciverit vel ignoraverit negligentiam Procuratoris. Rosbach. *loc. cit.* Carpzov. *p. 1. Const. 1. def. 12. n. 4. in Jurisprud. For.* cum Felin. &

Natta. Unde inferunt, si Procurator terminum probatorium præterlabi passus est, vel post latam contra suum Principalem sententiam intra decendium non appellavit, nec Dominum postea amplius audiri. Bart. *lo. cit. §. si procurator.* salvo tamen regressu, & suo modo restitutione in integrum, uti dicitur in *q. 3.* Nec refert, quòd negligentia Procuratoris conjuncta fuerit cum contumacia. per *c. 1. ut lit. non contest.* Brunem. *ad l. 3. C. de Procur. n. 4.* Ne verò ex aliena culpa dominus patiatur damnum, nunc decidenda est

QUÆSTIO III.

Quid remedii competat Principali, qui propter culpam Procuratoris cecidit causâ?

Expedita est apud Auctores responsio, quòd competat ei actio mandati directa ad interesse, & ad servandam plenam indemnitate. *l. 6. l. 8. l. 41. ff. mandati. & arg. l. 43. §. 1. ff. de administratione & periculo tutor.*

& quidem ob summam æquitatem. Verlohner *de actionib. forens. tit. Actio Mandati directa n. 3. in f. Gail. 1. obser. 45. n. 4.* Carpzov. *def. 12. cit. n. 6.* cum aliis. si verò Procuratori solvatur merces, potiùs actio locati datur.

C c 3

At